



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

55. An ad evitanda mala temporalia, ægritudinem internam afflictionem, paupertatem, &c. liceat mortem exoptare? Ex part. 5. tract. 14. & Misc. 2. res. 92.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76432)

teneri illud emere, & alibi nullum teneri quaterere civitatem salubriorem.

2. Dices, si homo, cui vna tantum dies vite superest, se ipsum occideret, peccaret lethaliter, ergo potiori iure censerebatur graue peccatum ita affligere corpus, vt vita abbrevietur per aliquot annos. Patet consequentia, quia plus temporis vite auferitur hoc modo. Respondetur concessio antecedente negando consequentiam, cuius probatio non viget: nam malitia occisionis non consistit in eo, quod vna, vel plures dies vite auferentur, sed in modo auferendi, ille enim qui iam proximus morti auferret diem vite, que illi supererat, foret absolute occisor sui, ille autem qui paulatim abbreviat vitam, non est sui occisor, sed veluti administrator & gubernator sue vite: ad gubernationem autem pertinet ita se gerere, vt vel magis, vel minus viuat, preterimque non potest non esse laudabile in obsequio diuino, quod saepe consistit in rebus vite contrariis eam imminuere, aut coarctare, pro quo facit, quod cum tempus vite nostre incertum sit, & fortasse illi, qui nunc agit annos adolescentie & robustissimus est, exiguum tempus superstit, non est censendus sibi inimicus, aut contra rationem agens, si vt carnem spiritui subiciat, se exerceat in operibus que alioqui minus accommodata videntur vite conseruationi. Hec omnia Granado. Sed in hoc optimum consilium erit, nihil facere sine consilio prudentis Confessorij, & Superioris.

RESOL. LIV.

An quis teneatur sub mortali non bibere aquam vel vinum niue refrigeratum, quia exinde prouident Medici, quod citius moriatur? Ex p. 5. tr. 4. Res. 27.

§. 1. AD hoc dubium negatiue responder Martinus Botacina in editionibus nouiss. rom. 2. de controuersis. lib. 3. q. 7. vlt. sect. 1. p. 107. n. 9. vbi sic ait. Nonnulli Doctores, quibus adhaeret Rodriguez de perfectione status religiosi, eos a mortali exculant, qui niuem ad tollendum vini calorem adhibent, etiam si inde prouideant fore vt citius pereant, hanc enim videtur leuis & indirecta cooperatio ad mortem. Ita ille vide infra.

RESOL. LV.

An ad euitanda mala temporalia, aegritudinem, inuermam afflictionem, pauperiam, &c. liceat mortem exoptare? Ex p. 3. tract. 14. & Misc. 2. Res. 92.

§. 1. CASus est frequentissimus, & Nauarrus in Man. cap. 15. n. 15. cum Abulensi quest. 4. in c. 19. lib. 3. Regum. putant esse peccatum mortale, quia homo non est dominus vite sue, deinde timiditatis, aut pusillanimitatis vitium est velle carere magno bono temporali, quod est vita, & mori ob vitanda aliqua mala minoris momenti.

2. Sed ego puto absque peccato posse aliquem desiderare mortem, vt a magno malo temporali liberetur. Ita tenet Sanch. in select. disp. 2. n. 9. & Sotus in 4. dist. 50. q. 1. c. 1. post 5. concl. probatur exemplo Elie 3. Reg. 19. & Iona cap. 4. Deinde quis prudenter censere potest maius malum aliquam afflictionem quam mortem; non est ergo contra charitatem sibi debitam velle mori potius, quam illud pati. Et ita hanc sententiam docet etiam Iacobus Granado in 2. 2. D. Thom. controu. 3. tract. 6. disp. 2. sect. 4. num. 22. vbi optime addit: Extra casum magna calamitatis, aut afflictionis non audeat excusare eiusmodi desiderium a culpa mortali, quia grauius laedit charitatem sibi debitam, quia vult

primari maximo bono naturali, cuius non est dominus absque vlla causa ad cuius momenti. Sic sane qui sine necessitate sufficiente desideraret grauem infirmitatem, censerebatur grauius agere contra naturalem inclinationem, & obligationem prospiciendi bono proprio, maius autem malum est mors. Quare non est censendum desiderium mortis quidpiam indifferens quod non habeat grauem malitiam, nisi malus finis apponatur, sed potius est hoc desiderium talis nature, vt nisi sine honesto, aut bono non leuis momenti cohonestetur, grauius malum sit, sicut est grauius malum occidere, vel infamare proximum, nisi ad sint causa iustissima, quas Doctores enumerare solent. Ita Granado. Ex quibus apparet esse damnandas de mortali mulierculas, & preterim vetulas, que ob res minimas vociferantur, & optant sibi mortem, nisi illas excusare velimus, (& ita vt plurimum est) ex defectu aduertentie, & deliberationis.

RESOL. LVI.

An optare mortem alicuius, vel de illa gaudere ob hereditatem habendam sit peccatum mortale?

Et an liceat matri mortem filiarum optare, eo quod ob deformitatem, vel inopiam non possit eas iuxta suum statum, & desiderium nuptui tradere, vel si de illarum causam male tractaretur a marito, &c. Ex part. 3. tr. 6. & Misc. 2. Res. 84.

§. 1. NAVARRUS in man. c. 15. n. 10. affirmatiuam sententiam docet esse communem, quia charitas obligat preferre vitam proximi diuitiis, & emolumento temporali. At his non obstantibus nouissime Castr. Palaus in opere morali, tr. 6. disp. 34. punct. 1. n. 11. cum debita moderatione putat, aliquem posse absque peccato mortali de vita alicuius tristiari, & de illius morte naturali gaudere, illamque inefficaci effectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia persone, sed ob aliquod temporale emolumentum inde sequutum; quia in tali casu quis non gaudet de illa morte, quatenus proximo mala est, sicutendo ibi (hoc enim esset malum) sed gaudet de illa, quatenus est causa (ui emolumenti, & secundum hanc rationem, bona esse videtur, & appetibilis. Secus vero esset, si quis vellet proximo absolute, & efficaciter mortem, quia talis voluntas peccaminosa esset, sub quocumque motiuo illam quis haberet. Igitur in isto casu desiderium, & gaudium de malo proximi, non tam est desiderium, & gaudium de malo illius, quam de bono inde sequuturo. Ergo, &c. Ita ille.

2. Hinc a fortiori infert Azorius rom. 1. lib. 3. c. 12. qu. 1. & alij, licere matri mortem filiarum optare, eo quod ob deformitatem, vel inopiam non possit eas iuxta suum desiderium nuptui tradere, vel si ob illarum causam male tractaretur a marito, & Io. Sanchius in selectis, disp. 2. n. 9. asserit, licitum esse optare tibi, vel proximo mortem, ob vitandam molestam infirmitatem, mendicitatem, vitam penalem a marito afflictam, & aliud huius generis, dummodo desideres vt a Deo infligendam, non ab homine iniuste, aut a demone; videtur etiam Emanuelem Sa ver. charit. 2. n. 8.

RESOL. LVII.

An aliquando licitum sit se mutilare?

Et an homo teneatur pati sibi membrum secari, si Medico iudicent esse necessarium?

Et an teneatur hoc permittere, si sit Religiosus, & superior ei id precipiat?

Et an Carthusiani teneantur in periculo mortis abstinere se ab esu carniuum?

Et

Sup. hoc in tom. 7. tr. 6. Res. 30. vlt. & in tom. 11. tr. 7. Res. 100. § Non defimum & legum etiam doctrinam Res. nor. seq.

Sup. hoc in res. preterita, & lege etiam doctrinam Res. & nor. preterita.